Quelle: https://manuscripta.at/?ID=8336
Copyright: Salzburg, Universitätsbibliothek



ait illis. Videbam sathanam: sicut fulgur de celo cadentem. Ecce
dedi uobis potestatem calcandi supra serpentes et scorpiones: et
supra omnem uirtutem inimici: et nichil uos nocebit. Verum
tamen in hoc nolite gaudere. quia spiritus uobis subiciuntur: gaude
te autem quod nomina uestra scripta sunt in celis.

In illo tempore. Dicebat iesus dis. s. Si quis uult post me uenire:
abneget semetipsum. et tollat crucem suam cotidie. et sequatur
me. Qui enim uoluerit animam suam saluam facere: perdet illam.
Nam qui perdiderit animam suam propter me: saluam faciet ill
am. Quid enim proderit homo si lucretur uniuersum mundum.
se autem ipsum perdat. et detrimentum sui faciat? Nam qui me eru
buerit et meos sermones: hunc filius hominis erubescet cum
uenerit in maiestate sua et patris. et sanctorum angelorum. Di
autem uobis: uere sunt aliqui hic stantes. qui non gustabunt mor
tem. donec uideant regnum dei. l. l. sapie.

Lingua sapientium ornat scientiam:
os fatuorum ebullit stulticiam. In omni loco oculi domini
contemplantur malos et bonos. Lingua placabilis. lignum uite:
que autem immoderata est. conteret spiritum. Domus iusti pluri
ma fortitudo: et in fructibus impii. conturbacio. Labia sapien
tium disseminabunt scientiam: cor stultorum dissimile erit. Vic
time impiorum abominabiles domino uota iustorum placabilia.
Qui sequitur iusticiam dirigitur a domino. l. sapie.

Iusti in perpetuum uiuent: et apud dominum est merces eorum: et co
gitacio eorum apud altissimum. Ideo accipient regnum decoris. et
diadema speciei de manu domini: quoniam dextera sua teget eos: et bra
chio sancto suo defendet illos. Accipiet armaturam zelus illius:
et armabit creaturam ad ultionem inimicorum. Induent prothorace
iusticiam: et accipient progalea iudicium certum. Sument scu
tum inexpugnabile. equitatem: ibunt directe promissiones. Et ad
certum locum deducet illos. dominus deus noster.